

Sequitur super quartum *Sententiarum*

QUAESTIO PRIMA.

[364a] Circa quartum librum quaeritur utrum baptismus rite susceptus conferat gratiam baptizato.

Videtur quod non, quia, si sic, sequeretur quod parvulus baptizatus et adultus etiam baptizatus, qui personaliter meruit, aequaliter praemiaretur de lege statuta. Consequens est falsum, quia nullum praemium debetur parvulo, nisi propter meritum Christi, cuius particeps futurus est per susceptionem sacramenti; sed meritum passionis Christi aequale est omnibus in Christo renatis; ergo tantum participabit de eo adultus, qui meruit, sicut parvulus, qui nunquam meruit, et praeter hoc aliquid habet de merito suo personali per casum argumenti. Ergo, si aequaliter praemiarentur, sequitur quod inaequaliter boni aequaliter forent a Deo praemiati. Consequentiam primam probo, quia capio gratiam in aliquo parvulo baptizato existentem, et gratiam aliam in anima adulti. Istae gratiae sunt eiusdem speciei, ergo sunt comparabiles **exempli 7** *Physicorum*. Ergo manifestum est quod, si altera sit maior, gratia adulti excedet aliam; quaero igitur utrum in infinitum, an finite. Si in infinitum, tunc ille adultus in infinitum esset magis acceptus Deo, et sic in infinitum magis praemiandus. Si finite tantum, ergo gratia adulti potest diminui quousque foret omnino aequalis gratiae parvuli. Pono ergo quod iste adultus peccet, et resipiscat cum gratia minori quam prius; et iterum peccet, et resipiscat cum minori gratia quam prius. Et sic consequenter, donec aequalem praecise gratiam habeat sicut parvulus, et decedat. Et sic patet propositum. Similiter, si gratia adulti non excedeat gratiam parvuli nisi finite tantum, sit quod in triplo, gratia exempli, excedat; tunc capio alium adultum qui minus meruit praecise in triplo; ergo ille et parvulus aequaliter praemiabuntur.

Secundo ad principale: si sic, ergo duo parvuli baptizati inaequaliter praemiarentur de lege statuta. Consequens falsum, quia cum totum praemium sit eis debitum de merito passionis Christi, et illud est aequaliter commune utrique, nulla videtur inter eos ponenda differentia praemiorum, et hoc dicit Magister, libro 2, distinctione 32 in fine. Animae ante baptismum a corpore discendentes parem poenam et post baptismum statim aequalem coronam sortiuntur. Consequentiam probo quinque modis.

Primo sic: capio duos parvulos inaequales in naturalibus, sic quod anima unius sit multo nobilior quam anima alterius. Et arguo sic: sacramentam aequaliter operatur gratiam in anima utriusque; ergo, cum actus activorum sint in patiente disposito, 2 *De anima*, sequitur quod in anima nobiliori plus causatur de gratia.

Confirmatur, nam deus sic contulit in angelis in sua prima creatione gratiam, secundum differentiam naturalium; ergo. Maior patet et minor, secundum Magistrum, libro 2, distinctione 3.

[364b] Secundo sic: capio duos parvulos qui simul baptizentur et confirmentur; statim unus et non alter decedat sine merito ulteriori personali; tunc manifestum est quod, si sacramenta conferant gratiam, ergo ille qui est confirmatus maiorem gratiam habebit; ergo et maiorem gloriam. Consequentiam probo, quia est magis a Deo acceptus.

Tertio, proba eadem consequentiam: capio unum parvulum baptizatum a pagano in articulo necessitatis sine quacumque solemnitate congrua, tantum habitis illis quae sunt de necessitate et de substantia sacramenti. Et capio unum alium baptizatum cum fide in Ecclesia christianorum a viro sancto, et cum omnibus circumstantiis requisitis ad solemnitatem, sicut sunt catechismus, et exorcismus, cereus, chrisma et huiusmodi. Quaero igitur utrum istis parvulis infundetur aequalis gratia in baptismo, an non. Si non, habeo propositum. Si sic, ergo frustra fierent omnia talia.

Quarto sic: capio unum parvulum circumcissum, et alium parvulum baptizatum, quorum utrique est salvatus; quaero utrum isti habent aequale praemium, an non. Si sic, ergo tantam gratiam contulit circumcisio sicut baptismus. Consequens falsum et contra Magistrum, libro 4, ubi dicit quod baptismus est perfectior quam fuit circumcisio, quia in ea non dabatur gratia ad bene operandum, nec augmentum gratiae habitae in adultis, sed solum peccata dimittebantur. Unde et Abrae tantum fuit signum, et nihil boni contulit exterius, sicut dicitur in fine illius capituli. Si non habent aequale praemium, ergo nec habuerunt in praesenti aequalem gratiam; ergo dabatur uni parvulo plus quam alteri; quod est propositum.

Quinto patet eadem consequentia, quia parvulus decedens assumetur ad aequalitatem alicuius ordinis angelorum; ergo aequaliter praemiabitur cum angelo qui actualiter meruit.

Tertio ad principale: si sic, baptismus foret aliquo modo causa effectiva gratiae, et sic creatura poset creare. Consequens falsum. Consequentia patet, quia vel efficit aliquid, vel nihil. Si nihil, ergo non efficit gratiam; ergo non est causa gratiae. Consequentia patet, gratia materiae, quia non est causa materialis, nec formalis, nec finalis; ergo, si nullo modo efficit, nullo modo causat. Si aliquid efficit in anima de gratia, ergo causat.

Confirmatur, quia baptismus creat in anima characterem; ergo causat veram rem in anima.

Confirmatur, quia vel in sacramentis novae legis est aliqua virtus infusa, vel nulla. Si nulla, non videntur nobiliora quam sacramenta veteris legis. Et consequens est falsum, quia communiter dicitur quod sacramenta novae legis continent et efficiunt quod figurant. Si sic, ergo in syllabis prolatis a baptizante foret aliqua virtus spiritualis: vel ergo tota in qualibet parte, vel tota in omnibus, et pars in parte. Si primum, ergo prolata prima syllaba formae sacramentalis statim causaretur gratia per illam virtutem, quia agit quantum potest, et statim cessat agere. Similiter ponatur quod sacerdos incipiat dicere: 'ego te baptizo', et non dicat plus; sequitur quod baptizatum foret, quia gratia esset [365a] causata in anima et, per consequens, remissio peccati originalis. Consequens falsum, quia nec ibi fuit invocatio Trinitatis explicita, nec implicita, nec forma praescripta verborum, igitur nec sacramentum baptismi. Consequentia patet per diffinitionem baptismi, si dicatur quod illa virtus habet partem in parte, et successive est sicut syllabae proferuntur.

Contra: tunc nunquam foret haec vera: 'aliqua virtus est in sacramentis', sicut nuquam haec est vera: 'aliqua syllaba est', vel 'aliqua vox est', cum fiant cum motu locali percutientis et percussi. Item, quod virtus creativa gratiae non sit in verbis, nec in aliqua forma proba, quia, si sic, incipiat aliquis baptizare, et, prolata medietate formae, mutet intensionem et intendat non baptizare, sed tantum lavare corpus. Iste, ut videtur, non est baptizatus, quia intentio ministri est de essentia sacramenti.

Quarto ad principale, arguo sic: pono duos catecuminos pares in intentione et fide et devotione ad baptismum, et sint in eundo versus baptismum; moriatur unus immediate, et alter perveniens ad baptismum baptizetur, et baptizatus decedat. Quaero tunc an isti aequaliter praemiabuntur, an non. Si sic, ergo nihil profuit baptismus baptizato. Si non, contra: fuerunt aequales in meritis per casum, et non stetit per non baptizatum quod non fuit baptizatus; ergo nullo modo debet sibi imputari, nec debet sibi nocere.

Quinto ad principale: si sic, ergo baptismus plus deberet valere adulto quam parvulo, rationabiliter loquendo. Consequentia patet, quia adultus venit in gratia et cum gratia et cum devotione et cum meritis ad baptismum. Ergo maiorem gratiam potest causare in illo quam in parvulo, quia maiorem dispositionem invenit. Sed consequens est falsum. Probo, quia multo minus prodest adulto quam parvulo, quia tantum bonum est illud quod confertur parvulo per baptismum, quantum malum foret illud quod haberet parvulus, si careret baptismo. Sed illud malum est peius quam malum quod accideret adulto, si non baptizaretur, sed vellet baptizari. Probo, quia illud foret carentia visionis divinae in aeternum pro peccato originali, sed adultus volens baptizari pro ipsa voluntate purgaretur ab originali. Probo, quia, si sine baptismo decederet, haberet vitam aeternam; ergo illud est sibi debitum ante baptismum; igitur minus sibi confertur per baptismum quam parvulo. Vel, si dicatur quod in adulto remittitur tantum peccatum originale, hoc non potest esse, quia ante fuit dignus vita aeterna, sicut patuit de Cornelio, *Actus* <Apostolorum>, 10, et <*Sententiarum*> libro 4, distinctione 4, capitulo 5, ibidem *Quod vero invisibilis*.

Sexto ad principale: tunc baptismus auferret culpam et poenam satisfactivam pro peccatis praecedentibus, sicut communiter dicitur. Consequens falsum, quia tunc remaneret aliquid impunitum et, per consequens, aliquid deordinatum in regno Dei, contra Anselmum, 1 *Cur Deus homo?*, capitulo 15. Consequentia patet: sint duo peccatores, quorum [365b] unus sit multo peior alio, <et> veniant ad baptismum cum aequali contritione. Uterque recipiet veniam peccatorum, et quoad culpam et quoad poenam totam satisfactivam; ergo peccata istorum non aequaliter puniuntur.

Septimo sic: tunc baptismus contulisset gratiam animae Christi. Consequens falsum est, quia tunc anima Christi profecisset in gratiam.

Ocatvo sic: si intentio ministri baptizantis requiratur ad baptismum, sicut communiter tenetur, sequuntur multa inconvenientia. Primo, quia non constaret homini an esset baptizatus, an non, quia nescit utrum baptizans ipsum habuit intentionem baptizandi an non et, per consequens, talis peccaret exponendo se ordinibus. Item tunc sacerdos distractus, vel ebrius, et puer ludens cum aliis, et baptizans eos ludendo, non baptizaret. Consequens est falsum.

Nono sic: ponatur quod nullus sit credens in Ecclesia militante, et quod paganus, accipiendo parvulum suum, intendat facere sicut Ecclesia militans consuevit, et dicat formam sacramenti cum intentione debita; quaeritur an sit baptizatus, an non. Et videtur quod sic, quia profert formam, et est materia debita, et malitia ministri non obstat; ergo etc. Sed quod non, ostenditur per Augustinum et allegatur a Magistro in hoc <libro *Sententiarum*> 4, distinctione 4 in principiis. Et in *Decreto* 1, quaestione 1, *Detrahe*: „in duobus consistit sacramentum baptismum, scilicet in verbo et elemento”. Et parum ante: „unde est haec tanta virtus aquae, ut corpus tangat

et cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur”. Ergo, si minister baptizans dicat formam et intendat baptizare, et non credit, nec aliquis alius, nihil fit.

Confirmatur per illud <librum> 4 *Sententiarum*, distinctione 5: „parvulus sine fide etc.” Item dicitur quod impossibile est fidem universaliter deficere in Ecclesia militante, secundum illud <Secundum> *Ioannem*, 6: *ecce ego vobiscum sum* etc.

Contra: possibile est totam Ecclesiam consistere in tribus personis, et manifestum est quod illae tres apostatare a fide; similiter possunt interfici; similiter congregatio Iudeorum fuit aliquando Ecclesia, et iam est totliter mutata; ergo casus argumenti est possibilis.

Decimo: tunc aliquis posset meritorie baptizare seipsum, quia, sit in devotione ad baptismum et sit in periculo ut occidatur ab hostibus, videtur quod debet se ipsum baptizare. Consequens est falsum, quia non potest servare formam.

Ad oppositum quaestionem est Magister, 4 *Sententiarum*, distinctione 5, capitulo ultimo et fides Ecclesiae Universalis.

Ad quaestionem dicendum est quod sic. Ad maiorem istius sacramenti notitiam facienda sunt octo. Primo, videndum est breviter quae sunt de essentia sacramenti. Secundo, quae sunt de eius forma. Tertio, quae sit debita materia. Quarto, quid requiritur a parte recipientis. Quinto, quis sit conveniens minister sacramenti. Sexto, quis sit effectus baptismi. Septimo, solventur quaedam dubia. Octavo dicetur ad rationes.

Circa primum, nota quod de essentia cuiuscumque sacramenti sunt tria: materia, forma et persona ministrans cum intentione, ita quod, si aliquod istorum [366a] defuerit, non est sacramentum. Formam consistit in verbis, materia in rebus, secundum congruentiam diversorum sacramentorum, sicut patebit infra. In hoc autem sacramento baptismi sunt de esse forma verborum praescripta: „ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti etc.”. Materia <est> aqua naturalis quae est elementum, sicut dicitur infra. Item minister intendens, fides propria vel aliena, immersio et prolatio ab uno, secundum sanctum Thomam et alios communiter.

Secundo, specialiter notandum est de forma, quae est illa quae ponitur *Extra, De baptismo et eius effectu, Si quis*, ubi Alexander papa dicit: „si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti tantum, et non dixerit: 'ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti', non est puer baptizatus”. 'Ego' tamen et 'amen' non sunt de substantia seu essentia, sed de evidentia, quod manifestum est de 'amen', quia nec in dicta forma Alexander hoc replicavit, nec in Evangelio ponitur <Secundum> *Matthaeum*, ultimo, ubi dicitur: *euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Et est notandum quod in ista forma quatuor includuntur, scilicet invocatio Trinitatis sub hoc sensu: 'in nomine Patris etc.'; secundo, expressio actus exerciti baptizantis, dicendo 'baptizo'; tertio, specificatio personae baptizantis: 'ego', et illa est ex institutione Ecclesiae, et licet omittatur, sacramentum confertur, sed omittens ex industria graviter peccat; quarto est specificatio personae baptizatae, cum dicitur 'te'. Haec autem forma debet proferri tota ab uno, et non una medietas ab uno, et alia ab alio. Similiter qui profert verba debet immergere, non quod unus proferat verba, et alius immergat, sicut faciunt quaedam vetulae, quia sacramenta ecclesiastica sunt unitatis, et dividi non dicunt, *De consecratione*, distinctione 2, *Quia passus*. Requiritur etiam in ista forma significatio completa,

ita quod, si fiat mutatio circa significationem, vel modum significandi, non est baptizatus. Unde, si diceretur sic: 'ego¹ te baptizo in nomine genitoris et geniti et flaminis almi', secundum doctores non foret baptizatus, quia ista nomina, quamvis supponunt pro personis, principaliter tamen significant notiones. Nec debet ullo modo baptizari in nomine Trinitatis vel Christi, licet aliquando liceret ad promulgationem fidei, ut nomine Christi amabile redderetur. Et hac de causa, olim in nomine Christi baptizabatur. Unde *De consecratione*, distinctione 4, a quodam habetur sic: „hi profecto, si in nomine Sanctae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in *Actibus Apostolorum* legitur, baptizati sunt, rebaptizari non debent, licet nunc non sic in nomine Christi baptizetur, nec etiam in nomine Trinitatis”. Unde de verbo ad verbum debent sacerdotes docere in suo vulgari formam baptizandi praedictam. Et licet contingat aliquando quod vetula dixerit totam formam in suo vulgari, et post ea subiungat 'in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti', nihil nocet. Doceantur tamen omnino quod tantum se[366b]mel proferant verba, et nullo modo pluries.

Circa mutationem istius formae vocalis: 'ego te baptizo etc.', est sciendum quod potest fieri mutatio tribus modis, quia vel circa substantiam orationis prolatae, vel circa quantitate, vel circa ordinem verborum.

Si circa substantiam orationis prolatae, hoc contingit dupliciter: vel quia tota substantia orationis vocalis mutatur, et tunc vel manet eadem significatio vocum prolatarum, et hoc non nocet, quia in omni lingua potest baptizari, vel non manet, sed mutatur significatio, et talis obest sacramento, ut si dicatur 'in nomine genitoris vel Trinitatis'. Si autem fiat mutatio circa partem, puta circa unum verbum, vel duo, hoc potest esse dupliciter: vel quod non manet eadem significatio neque secundum institutionem primariam, neque secundum transumptionem, neque per accommodationem usus, et tunc nihil fit, vel fit talis mutatio corrumpendo aliquod verbum, sic quod recedit a significatione secundum primariam institutionem, non tamen secundum accommodationem usus eorundem vocabulorum, maxime apud simplices, et est baptismus. Unde Zacharias papa reputavit baptizatum eum qui a quodam sacerdote ignorante latine loqui baptizatus fuit sub hac forma: „In nomine patria et filia et spiritua sancta”, sicut habetur *De consecratione*, distinctione 4, capitulo *Retulerunt*. Sic igitur primo modo contingit fieri mutationem circa substantiam formae vocalis. Secundo modo fit mutatio circa quantitatem verborum, et hoc dupliciter: addendo vel diminuendo. Si addendo, vel fit cum intentione mutandi formam Ecclesiae, et tunc nihil fit, vel introducendi errorem, sicut fecit Arrius sic dicendo: 'in nomine Patris maioris et Filii minoris etc.', et sic etiam nihil fit. Si tamen addit aliquid ex simplicitate et devotione, non impedit, ut si dicatur: 'ego te baptizo in nomine Patris etc. et beate virginis matris Dei'. Melius tamen est ne introducatur nova forma, a tali devotione abstinere pro tunc, sed, si ex simplicitate fiat, non impedit. Si autem diminuendo fiat mutatio, dicendum est quod aut voluntarie, aut involuntarie. Si voluntarie, impedit ut dictum est. Si invite, quia baptizans moritur, vel impeditur ante prolationem completam, et tunc pie creditur quod summus sacerdos supplet, et est baptizatus. Et si statim moriatur, salvatur, et gaudebit ecclesiastica sepultura. Sin autem vivat, debet sub conditione rebaptizari.

¹ ego] ergo

Tertio principaliter, mutatur forma secundum ordinem verborum, et hoc dupliciter, quia vel transponendo, vel interponendo. Si fiat transpositio, vel fit ex simplicitate, et tunc non nocet, vel ex malitia, quia non intendit servare formam Ecclesiae, <et> tunc impedit. Si fiat in[367a]terponendo quaedam alia, dicendum est quod vel fit magna interpositio, vel modica. Si modica, sicut sternutatio, vel tussis, et tunc non nocet, sicut interpositio proprii nominis, quod tunc imponitur parvulo, nec obest, nec prodest sacramento. Si est magna, ita quod, si usus loquendi, intentio et actio prolationis non deberet iudicari unum, tunc non est baptismus. Sic igitur in forma fit mutatio tribus modis generaliter, et sex modis specialiter, scilicet subtrahendo, addendo, interponendo, transponendo, commutando, corrumpendo.

Tertio, circa materia istius sacramenti est sciendum quod ipsa aqua naturalis est materia, sicut patet <Secundum> *Iohannem*, 3: *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest* etc.

Contra: aqua semper mixta est partibus terreis, unde Aristoteles, 2 *Meteororum*: „omnis vapor est duo vapores”; ergo nunquam fit baptismus nisi in aqua mixta; igitur non in aqua elementari.

Item, aqua rosacea est eiusdem speciei cum elementari; igitur etc. Antecedens patet, quia utriusque sunt eadem accidentia, sicut frigiditas, humiditas et perspicuitas.

Item, quod aqua simpliciter non sit materia huius sacramenti videtur, quia aqua quae fluxit de latere Christi, quae significabat materiam huius sacramenti, non fuit purum elementum, quia tale non invenitur faciliter in corporibus mixtis, quia elementa non sunt in mixtis.

Item, aer fuisset materia convenientior, quia communior, ut videtur.

Dicit potest quod baptismus est ablutio corporalis hominis non renati, nec renitentis, facta in aqua ab aliquo simul proferente verba debita, et debitam intentionem habente. Ex qua diffinitione patet quod aqua per multas convenientias ad sacramentum et eius effectum est materia conveniens sacramenti. Primo, ratione diaphaneitatis habet aliquid de lumine. Secundo, ratione humiditatis habet vim ablutivam. Tertio, ratione frigiditatis habet vim infrigiditativam. Quarto, secundum Aristotelem, 7 *De animalibus*: „aqua maxime convenit generationi et augmentationi animalium et plantarum”. Quinto, est communior et convenientior omnibus et de facili potest haberi. Significat ergo illuminationem per fidem ex primo; mundationem a peccato ex secundo; extinctionem fomitis ex tertio; regenerationem spiritualem et genere collationem ex quarto; et concernit necessitatem baptismi ex quinto.

Ad primum, dicendum quod mixtio accipitur dupliciter. Uno modo proprie, et illa tollit speciem miscibilis, sicut est in vera mixtione. Alio modo dicitur mixtio large, quaedam confusio, vel iuxtapositio partium aliquarum, quando scilicet partes diversae diversarum rerum manentium in suis speciebus iuxta ponuntur. Ubi aqua miscetur primo modo, [367b] non potest fieri baptismus, quia non est aqua pura. Secundo modo potest, et ideo, licet aqua communis sit mixta partibus terrae, vel aeris, nihilominus manet una species aquae. Unde in aqua maris potest fieri baptismus, licet eius salsedo declarat eam mixtam cum partibus terrestribus, secundum Aristotelem, 2 *Meteororum*; similiter, in lixivio, quod fit per transitum aquae per cineres; similiter in thermis balneis et aquis sulphureis, sed non in urina, quae est colamentum sanguinis, nec in cervisia, bona praecipue quae bene nutrit. Nam in istis non manet aqua in specie sua.

Ad secundum dicendum quod aqua rosacea non est eiusdem speciei cum aqua elementari, sicut per actionem distinctam secundum speciem patet, quia, dato quod illae qualitates sint in utraque eiusdem speciei, non tamen omnes aliae, sicut operationes distinctae secundum speciem, manifestant.

Ad tertium dicant quidam quod aqua quae fluxit etc. fuit elementum, et miraculose resoluta in ita brevi tempore, quia vulnerati non solent emittere aquam de vulneribus nisi post longam resolutionem et alterationem eorum.

Ad quartum dicitur quod bene potuisset sive posset sic fuisse institutus baptismus, si Christo placuisset, sed non est elementum sic resistens tactui nec ita sensibile sicut aqua, ut dicit Albertus.

Quarto videndum est quid requiritur a parte recipientis sacramentum baptismi. Unde dicendum est <quod> vel baptizandus est parvulus, vel adultus. Si parvulus, nihil requiritur nisi quod sit natus et divisus a matre totaliter, vel in parte. Quod ideo dico, quod, licet regulariter expectari debeat totaliter egressio de utero, in articulo tamen necessitatis ubi timetur mors pueri, si caput appareat, aspergendum est aqua, quia caput est principalis pars hominis in quo sunt omnes sensus. Si vero manus vel pes prius exeat, secundum quosdam, non debet baptizari; nihil tamen nocet si aspergatur cum debita forma verborum, quia misericordia Dei non est in necessitate arctanda. Si vero postea plenarie nascatur, potest baptizari sub conditione sic: 'si non es baptizatus, ego te baptizo etc.' Sanctificati vero in utero baptizari debent quando sunt nati propter characterem et praeceptum Ecclesiae. Item, puer non debet intus, hoc est in utero totus existens, baptizari, nec mater debet baptizari propter puerum, quid, si fiat, non tamen est baptizatus, *De consecratione*, distinctione 4, *Qui in maternis*, et capitulo *Si ad matris corpus*. Unde, si mulier gravida converteretur ad fidem et baptizaretur, nihilominus puer postea natus debet baptizari.

Si vero baptizandus sit adultus, vel est furiosus stultus, vel sanae mentis. Si stultus vel perpetue furiosus, idem iudicium est de tale et de par[368a]vulo. Unde in eis nec requiritur intentio, nec fides propria. Si vero habeat lucida intervalla, tunc requiritur quod aliquando intenderit baptizari. Et ideo amentes et dormientes, si ante amentiam, vel somnum contrariam voluntatem habuerint, non recipiunt sacramentum, si in somno vel furia baptizentur. Si vero ante innotuerit eorum voluntas, possunt in articulo necessitatis baptizari, etiam si furibundus tunc contradicat. Si autem non sit articulus necessitatis, debet in furiosis expectari lucidum intervallum. Si vero adultus baptizandus sit sanae mentis, requiritur in eo intentio et fides et voluntas suscipiendi sacramentum, absoluta, vel conditionata. Unde, si quis omnino cogeretur ita quod simpliciter esset coactio, nihil fieret. Si tamen voluntarium est mixtum, vel si voluntatem habeat mixtam, sicut si per metropolitanum induceretur, tunc recipit sacramentum, sed non rem sacramenti.

Quinto, videndum est quis sit minister conveniens huius sacramenti. Dicendum est quod regulariter et extra casum necessitatis solus sacerdos debet baptizare et, licet praesente episcopo, potest sacerdos baptizare, quia est de officio suo, tamen praesente presbytero, clericus baptizare non debet, nec laicus, praesente clerico, nec mulier, praesente viro. Tamen in articulo necessitatis potest baptizare omnis homo, bonus, vel malus, fidelis, vel infidelis, dummodo habeat intentionem faciendi sicut Ecclesia consuevit facere, si etiam nihil credat. De virtute sacramenti, potest in

articulo necessitatis baptizare tam mulier, quam vir, indifferenter, sicut patet *De consecratione*, distinctione 4, *Mulier*.

Sciendum est tamen quod a malo ministro, hoc est ab haeretico, excommunicato, vel suspenso, simoniaco, fornicatore notorio, non debent recipi sacramenta, nisi morte interveniente, baptismus et communio, distinctione 32, *Nullus*, et capitulo sequenti. Unde angelus malus baptizare non potest, si bonus faceret, et Ecclesiae constaret, non foret rebaptizandum, quia ille nullum officium sibi usurparet sine divina approbatione.

Sexto, dicendum <est> breviter de effectu baptismi, qui est multiplex: deletio peccati originalis et actualis insimul absolutio, si insit, infusio gratiae de novo, vel augmentum praecedentis, remissio poenae satisfactoriae, impraessio characteris. De remissione exterioris satisfactoriae poenae habetur *De consecratione*, distinctione 4, capitulo 4, *Quod vero omnis exterior satisfactio*, et allegat Magister, libro 4, distinctione 5.

Septimus articulus quaestionis est solvere quaedam dubia circa baptismum, secundum quosdam casus possibiles. Primo, pono quod inveniatur parvulus expositus in publico, nescitur a quo, vel a quibus, nec invenitur signum, vel testimonium aliquod de baptismo; utrum sit baptizandus, an non. Dico quod iste casus ponitur *De consecratione*, distinctione 4, *Parvulos*, [368b] et capitulo sequenti, quia non est certum non esse baptizatum. Ideo propter reverentiam sacramenti, et ad praeiudicium irregularitatis quod incurrit parvulus si bis baptizaretur, baptizandus est sub conditione, *Extra, De baptismo et eius effectu, De quibus*, ubi dicitur sic: „de quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: 'Si baptizatus es non te rebaptizo. Si vero baptizatus non es, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen.'”.

Secundo, sic pono quod aliquis deferat puerum versus Ecclesiam ad baptizandum, et transiens pontem videat evidenter quod puer morietur antequam pervenerit ad finem pontis, et pons est altus. Quo posito, ille proiicit puerum in aquam cum intentione baptizandi, proferens verba quae sunt de forma; casu contingente, puer evadat. Quaeritur an debeat reputari baptizatus. Videtur quod sic, quia ibi fuit forma debita et intentio cum materia, et omnia requisita in articulo necessitatis. Dicitur quod non est baptizatus, quia baptismus est ablutio, ubi primo cooperitur totum, vel pars, et postea discooperitur. Propter primum repraesentat Christi sepulturam. Propter secundum, eius resurrectionem. Actus autem proiicientis in casu isto non fuit ordinatus ex sui natura ut puer ablueretur, hoc est mergeretur, sed relevaretur, et ideo, si a casu contingat quod per proiicientem, vel per alium liberetur, non est baptizatus. Saltem propter dubium potest baptizari sub conditione. Et si morietur, credo quod salvaretur, approbante Deo quod factum est ab homine, quantumcumque imperfecte.

Tertio, pono quod aliquis habens puerum stet super puteum profundum, et puer est in periculo mortis, et ipse non habeat vas aptum, nisi factum de virgis sive calathum, vel cribrum, et chordam aptam. Pono quod ponat puerum in cribro, vel calatho et cum chorda dimittat eum in aquam, et extrahat, proferens verba cum intentione baptizandi. Quo posito, quaeritur an puer sit baptizatus, an non. Videtur quod non, quia nullus eum immersit, nec immediate tangit intingendo. Dicendum est quod sic, quia omnia fiunt quae de necessitate sunt salutis. Nec oportet quod in tali casu tangatur immediate ab aliquo. Si tamen casus esset positus quod haberet pannum aliquem, et

tunc aqua posset exprimi panno super puerum cum forma verborum, quia immersio non est de necessitate sacramenti, sed sufficit in casu quod aspergatur, nec refert utrum multum, an parum infundatur de aqua, *De consecratione*, distinctione 4, *Nec quemquam*. Unde, deponendo ipsum vas, potest extrahi tanta aqua quae sufficeret ad aspergendum.

Quarto, pono casum istum: habeat aliquis pagani parvulum, vel Iudei, vel alterius infidelis in custodia; sit puer in periculo mortis et, intuitu salutis animae [369a] morituri, baptizetur sub tali forma condicionali: 'ego te baptizo, si pater tuus consenserit, in nomine Patris etc.'. Quo facto, puer moritur. Isto casu posito, quaero an fuit baptizatus, an non. Si non, contra, licet addere ad formam verborum, sicut dictum fuit in secundo articulo quaestionis, illud quod non corrumpit formam, dummodo non fiat causa introducendi novum ritum; sed illa conditio interposita non corrumpit formam manifestum est. Similiter forma sacramenti admittit conditionem, sicut patet in dubiis an sint baptizati, secundum eundem casum superius allegatum, *Extra, De baptismo et eius effectum*, de quibus dubium est. Similiter conditio est honesta et non impossibilis, quia stant simul quod iste sit baptizatus et patri hoc placeat. Similiter confirmatur, quia baptismus est magis necessarium sacramentum et nobilius quam matrimonium; sed si contractus matrimonialis fiat sub conditione turpi vel impossibili, conditio debet reiici et pro matrimonio iudicari, sicut patet *Extra, De conditionibus apposis in desponsationibus vel aliis contractibus*; si conditiones in fine illius capituli, ubi dicitur sic: „conditiones in fine appositae matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, propter eius favorem debent pro non adiectis haberi”, igitur a multo fortiori conditio appositae in proposito non impedit baptismum. Si concedatur quod puer est baptizatus, contra, ergo anima pueri est in coelo. Sed non fuit baptizatus nisi sub conditione quod patri placeret, et, puero mortuo, pater potest libere consentire et dissentire, igitur in potestate patris est facere quod puer nunquam fuit baptizatus et, per consequens, quod nunquam habuit gratiam, nec anima eius videret Deum. Consequens est impossibile. Nam haec est necessaria: 'anima eius fruebatur Deo'.

Ad hoc dicendum est quod quocumque pater se habeat postea, puer non est baptizatus, quia, conditione completa, puer transit de foro Ecclesiae militantis. Unde, licet postmodum pater consenserit, non est tamen tunc temporis capax sacramenti. Et ideo, si aliqua conditio debet apponi in baptismo, oportet quod sit conditio talis quae stet cum esse pueri de foro Ecclesiae militantis.

Sed contra hanc responsionem arguitur sic *Extra, De sententia excommunicationis a nobis* 2, quod mortui in sententia excommunicationis ligantur post mortem, et a sententia quam incurrerunt viventes absolvuntur post mortem.

Dicendum est quod aliud est in iurisdictionibus et sacramentis, quia nemo ordinatur, vel baptizatur, vel confirmatur post mortem, sed propter facta praecedentia, quibus homines meruerunt in vita potest hoc eis fieri post mortem.

Aliter potest dici ad casum quod nullum sacramentum recipit conditionem, nisi de praesenti, propter certitudinem quam sacramentum requirit. Et ideo puer in casu nostro non foret baptizatus [369b]. Mihi autem absolute videtur dicendum quod puer non est baptizatus, quia conditio adiecta repugnat significationi formae sacramentalis. Nam cum dicitur: 'ego te baptizo etc.', denotatur quod ita sit quod in hoc tempore praesenti baptizat eum et conferat ei sacramentum. Cum autem adiungitur illa conditio: 'si patri tuo cras placuerit', illa conditio interimit

significationem actus exerciti significati prius, quia, ideo, est mutatio formae quantum ad significationem quae semper impedit sacramentum, sicut articulo secundo dictum fuit.

Quinto, pono quod sint duo ceci sacerdotes, Ioannes et Petrus, et baptizent unum simul et semel cum forma et intentione debita, sic dicendo: 'ego te baptizo, si nullus alius modo te baptizat'. Quo posito, quaeritur utrum iste puer est baptizatus, an non. Si sic, vel a Ioannem, vel a Petro, vel ab utroque. Si ab utroque, sequuntur multa inconvenientia. Primo, quod baptizatus est irregularis, nec potest ad ordines promoveri, sicut patet *De consecratione*, distinctione 4, *Qui bis*. Et tunc haberet duos characteres, quia per factum unius reciperet unum characterem, et pari ratione per factum alterius reciperet alium. Tertio, quia talis reciperet gratiam duplam, et, si a tribus, triplam, et, si a centum, centuplam. Si dicatur quod causatur in eo tantum unus character a duobus, contra, tantum causat iste quantum ille. Similiter tunc idem indivisibile est totaliter a duobus, sic quod utrumque est illius causa totalis. Similiter neuter scit de alio per casum; igitur non intendit causare idem. Similiter verba quae dicuntur ab uno non sunt minoris efficaciae quam verba alterius, quae, si dicantur a Ioanne, pari ratione a Petro manifestum est ex casu. Si dicatur quod baptizatus non est, contra, conditio est licita, nec corrumpit formam et uterque profert formam debitam; ergo. Quod conditio illa sit licita patet *Extra, De baptismo*, capitulo *De quibus*. Vel deponatur conditio, et profert uterque absolute formam dicendo: 'ego baptizo te'.

Ad istud dicendum est, et primo ad primum casum, quod talis conditio est corruptiva significationis formae in tali casu et ut nunc. Et ideo est contraria effectui baptismi, et non tenet sacramentum quamvis conditio sit impleta, sicut est de matrimonio, si dicatur: 'contraho tecum si semper velis esse adultera', sicut patet *Extra, De conditionibus apposisis, Si conditiones*. Et ita generaliter dicendum est ad omnia insolubilia quae fieri possunt in casibus iuris.

Ad istum casum est dicendum quod puer est baptizatus. Et ad rationes in contrarium dicendum est ad primam quod baptizatus non est irregularis, quia non est iteratio sacramenti prius dati, secundum [370a] intentionem illius capituli *De consecratione*, distinctione 4, *Qui bis*. Similiter canon ille est poena iuris et non debet extendi.

Ad secundum dico quod non imprimitur nisi unus character a Deo, nec maior gratia datur quam si unus baptizaret. Ista enim verba non sunt causae effectivae characteris totales et perfectae, sed tantum dispositivae. Et non est inconveniens quod unus effectus sit dispositive a duobus, maxime quando agens principale est agens voluntarium.

Si autem casus mutaretur, quod duo intendant simpliciter simul et semel unum baptizare, deberet uterque dicere sub hac forma: 'ego te baptizo'; non sic in plurali: 'nos baptizamus', et simul deberet incipere et simul finire, quia alias foret, secundum aliquos, iteratio interpretativa. Si tamen dicerent in plurali ex simplicitate baptizantes, foret baptizatus.

Sexto pono casum de manco et muto, et quaero an talis sit baptizatus, an non, posito quod mutus immergat et mancus verba debite proferat. Videtur quod puer quem intendunt baptizare non est baptizatus, tum quia proferens exprimeret actum esse ab eo a quo non est, et diceret falsum, tum quia derogaret efficaciae sacramenti, quia sacramenta ecclesiastica sunt sacramenta unitatis, ut dictum est, et dividi non debent, *De consecratione*, distinctione 2, *Quia passus*. Sed contra: videtur quod sic, quia <Secundum> *Matthaeum*, ultimo, dicitur: *ite docete omnes gentes*

baptizantes eos. Non dicit ut quilibet unum baptizaret. Secundo, quia in consecratione eucharistiae et consecratione episcopi et in extrema unctione quod fit ab uno imperfecte, potest suppleri ab alio. Igitur a multo fortiori in sacramento necessitatis, cuiusmodi est baptismus. De sacramento eucharistiae patet, quia in *Canone* 7, quaestione 1, *Nihil contra*, ibi dicitur quod missa ab aliquo inchoata ab alio perficiatur, si necessitate primus praeventus fuerit; dicitur hic quod non secundum *Apparatum*, distinctione 23, capitulo *Quorundam*, quod duo imperfecta sacramenta non constituunt unum perfectum, et hoc ideo, quia sacramenta Ecclesiae sunt sacramenta unitatis, sicut paulo ante allegatum est. Et hoc est generaliter verum in omni sacramento, quod ea quae sunt de necessitate sacramenti non dividuntur, sicut idem *Apparatus* dicit de baptismo. Sed illud quod est solemnitatis, bene dividitur. Et sic solvitur illud quod est adiectum in arguendo. Secundo, quod sic per illud 7, quaestione 1, *Nihil contra*, quia loquitur de his quae pertinent ad solemnitatem sacramenti. Unde in consecratione eucharistiae, si unus infirmitate praeventus tantum, vel passione dixisset illa duo verba: 'hoc est', non deberet alius proseguire sic dicendo: 'corpus meum', sed deberet reincipere et dicere totam formam, [370b] et similiter est dicendum de ipso eodem infirmo, si passio ab eo in toto transiret. Et istud confirmatur per istud capitulum *Quorundam*, distinctione 23, ubi sic habetur: „Quorundam clericorum dum unus ad Presbyterium duo ad Levitarum ministerium sacrarentur, Episcopus dolore detentus, fertur manum suam tantum imposuisse super eos, et Presbyter quidam contra ecclesiasticum ordinem, benedictionem dedisse; sed quia iam episcopus ille examini divino relictus humano iudicio accusari non potest, hi qui supersunt gradum sacerdotii vel Levitici ordinis quem perverse adepti sunt amittant”.

Confirmatur haec responsio ad casum, quia exprimere actum esse ab eo qui non baptizavit videtur derogare efficaciae sacramenti; melius tamen esset quod mancus aspergeret cum aqua.

Septimo, pono quod aliquis baptizat cum forma debita et materia debita, sed non facit signum crucis; queritur an baptizaret. Dicitur quod sic, quia est ibi forma, materia, et intentio ministri quod non dicitur *De consecratione*, distinctione 5, *Numquid*.

Ad hoc respondet *Glossa ordinaria* ibidem dicens quod loquitur de congruentia, non de necessitate sacramenti. Unde vere baptizat.

Octavo, pono quod sacerdos non vult baptizare puerum parvulum meum in extrema necessitate, nisi detur sibi pro baptismo pecunia aut quid aliud. Dicendum quod nihil debet dari sacerdoti pro baptismo sacramentali, *De² poenitentia*, 1, quaestione 1, *Baptizandis*, sed ita est faciendum ac si nullus sacerdos praesens esset.

Nono, ponatur quod Deus ponat animam damnatam in corpore parvuli baptizandi. Similiter ponat animam damnati in corpore generato propagatione communi, sicut imponit animam de novo creatam. Tunc ista anima habebit remissionem peccatorum commissorum et totius poenae debitae, et statim moriatur, igitur salvabitur, quia tota poena est sibi remissa.

Similiter ista anima habebit duos characteres. Similiter, resuscitet Deus corpus Pauli et coniungendo ei animam Petri: nunquid deberet baptizari? Dicitur quod sic, quia iste homo nunquam fuit baptizatus. Dicendum quod non, si constaret quod baptizatus est in remedium contra peccatum.

² de] vel

Item creet Deus unum hominem de novo totaliter: iste non debet baptizari totaliter. Probo, quia non potest renasci, *De consecratione*, distinctione 4, *Qui in maternis*: „Qui natus non est adhuc secundum Adam, secundum Christum renasci non potest, nec regeneratio in eum dici potest, quem generatio non praecessit”. Contra: igitur damnabitur necessario, <*Secundum*> *Ioannem*, 3: *nisi quis renatus fuerit* etc. Dicendum est quod sacramenta sunt instituta pro co[371a]mmuni propagatione hominum. Isti autem casus sunt singulares, nec Deus sacramentis suam virtutem aligavit, quin sine eis operari possit, et eorum effectum suspendere sicut placet sibi, nec de talibus casibus possumus definire, sed est in eis implorandum divinum oraculum, sicut dicit Augustinus *De unico baptismo*.

Decimo, pono quod aliquis non baptizatus ordinetur in sacerdotem; credat tamen se fuisse baptizatum; qui casus ponitur *Extra, De presbytero non baptizato*, capitulo *Apostolicam*; et quaero an talis damnabitur propterea quod gerit officia sacerdotalia, an non. Et videtur quod non, quia per ignorantiam invincibilem excusatur, nec videtur debuisse petere baptismum, quia aliter quilibet deberet hoc petere, quantumcumque baptizatus. Tamen, contra, videtur contra illud Augustini, *De consecratione*, distinctione 4, *Catecuminum*, ubi dicitur: „catecuminum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam habere non credimus, excepto dumtaxat nisi martyrii compleat sacramentum”; sed iste non fuit martyr; igitur etc. Si dicatur sicut dicit Magister, distinctione 4, capitulo *Sunt et alii circa medium*, quod auctoritas debet intelligi de tali qui scivit se esse catecuminum, et non petiit baptismum, vel contempsit, contra, tenetur facere, et scit se teneri, et non petit; igitur peccat mortaliter. Item in alio casu quam in martyrio potest catecuminus salvari, igitur exceptio Augustini non est conveniens. Dicendum quod sic in via salutis. Ad illud Augustinum dicendum est quod intelligit de catecumino qui propter defectum fidei baptizari non petit. Et de tali non praesupponit Ecclesia quod sufficienter voluit unquam in vita baptizari, sed de illo qui offert se martyrio; quantumcumque apparuerit insufficiens an vel negligens in petendo baptismum, satis praesumitur quod baptizari voluisset, si vixisset, qui pro fide moritur. Et quando arguitur: 'iste tenebatur petere et non petiit', verum est quod in casu argumenti non tenebatur ille sacerdos petere, quia putavit se baptizatum. Si tamen ponamus casum de alio catecumino qui non petiit baptismum, potest dici quod peccat mortaliter, si nec petit pro nunc, nec pro alio tempore. Similiter petitio potest exponi per desiderium petendi. Dato enim quod catecuminus sit in deserto ubi nullum videt, non tenetur petere; tenetur tantum velle, vel habere desiderium petendi. Et de tali catecumino est vera illa exceptiva Augustini quod damnabitur, vel quod martyrii compleat sacramentum. Sed quid est de his dicendum quae praesbyter iste gessit? Nunquid decepit animas? Dicendum quod non, quia dum bona fide credit se ordinatum, rata sunt omnia quae gessit per gratiam summi sacerdotis. Et sic patet quod, ad virtutem vocis loquendo, potest conse[371b]crare corpus Christi. Et si sit episcopus, conferre ordines et confirmare et sic facere quae ad solos episcopos, vel sacerdotes pertinent de iure. Sed melius dicendum est quod talis non consecrat, sed Deus etc. Item eodem casu retento de presbytero non baptizato, hoc excepto quod supervivat, et constat postea legitime quod non fuit baptizatus, quaero quid debet de eo fieri. Dicendum quod iste casus ponitur *Extra, De presbytero non baptizato*, capitulo *Veniens*, ubi respondet dominus Papa ad casum, quod cum probatum fuerit legitime quod non extitit baptizatus, debet baptizari et ordinari ad singulos ordines de novo, quia,

baptismo non recepto, non potest aliud recipi sacramentum, eo quod baptismus sit omnium sacramentorum fundamentum et ianua, distinctione 22, *Solicitude*. Nec talis irregularis esset, quia quod nescitur esse factum non praesupponitur iterari.

Undecimo, pono iuxta casum praecedentem quod aliquis adultus asserat se baptizatum, nec habeat super hoc testimonium; quaeritur an credendum est dicto suo. Videtur quod sic, quia *De consecratione*, distinctione 4, capitulo *Placuit*, dicitur: „placuit de infantibus quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per aetatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos”. Ergo, a contrario sensu, si paratus est respondere de sacramentis sibi traditis, sibi credendum est. Sed contra hoc arguitur, quia de ordinibus non est credendum alicui de se, sicut patet distinctione 98, <*Codex canonum Ecclesiae*>, *Africanos*, dici potest quod in casu debet sibi credi, et in casu non, quia quantum ad communicationem sacramentorum et convictum communem debet sibi credi qui catholice de fide respondendo asserit se esse christianum. Et hoc universaliter in omni casu, nisi cederet in praeiudicium alterius. Unde ad edificationem baptismi et Ecclesiae consecrationem sufficit testimonium unius, licet non sit ita in ordinibus, sicut dicitur *De consecratione*, distinctione 4, capitulo *Placuit*. Si autem in forma iudicii agatur contra talem, sicut si est sacerdos, et agatur iudicialiter ad eius depositionem, obiciendo quod non est baptizatus, vel agatur ad divortium, si contraxit cum aliqua, in hoc casu non sufficit testimonium singularis personae. Similiter si alicui relinquuntur ex testamento decem, si fuerit christianus, certe tunc oportet hoc probari per plures testes, et non sufficit testimonium singularis personae; alioquin fieret praeiudicium haeredibus. De his qui ab infantia inter christianos sunt conversati et de christianis geniti, praesumendum est quod sunt baptizati, nisi doceatur oppositum evidentem, *Extra, De presbytero non baptizato*, capitulo *Veniens*.

[372a] Duodecimo, pono alium catecuminum martyrizatum et miraculose resuscitatum; quaero an debet baptizari, an non. Quod non, quia iniuriam facit martyri qui orat pro martyre, sed baptizans solemniter dicit orationes et exorcismos. Contra: sanctificati in utero baptizari debent, etiam si constaret de eorum sanctificatione, ut recipiant characterem; sed baptismus est sacramentum necessitatis ubi potest haberi, sed iste nunquam habuit; igitur, dicendum quod sic propter praeceptum Ecclesiae et generalem ordinationem Christi, <*Secundum*> *Ioannem*, 3: *nisi quis renatus* etc.

Decimotertio, pono quod aliquis intendat baptizare masculum, et baptizat iuvenulam; quaero utrum illa sit baptizata an non. Videtur quod non, quia non intendit eam baptizare, nullam enim intendit baptizare mulierem. Ergo non intendit baptizare istam. Item, sit aliquis sacerdos cecus et habeat duos catecuminos, Ioannem et Guihilmum, et intendat ex aliqua causa baptizare Ioannem hodie et Guihilmum cras. Quo posito, convenient inter se quod decipiant sacerdotem, ita quod Guihilmus velit baptizari hodie. Quaeritur an Guihilmus est baptizatus an non. Et videtur quod non, quia ita defuit intentio baptizantis, quia intentio sua non fuit baptizare Guihilmum nisi usque cras. Contrarium huius apparet, quia furtive ordinatus recepit ordines, ut patet *Extra, De eo qui furtive ordines recipit*, capitulo ultimo. Sed ita requiritur ibi intentio sicut in baptismo, quia intentio ministri requiritur in omni sacramento. Ad istud potest dici quod non

requiritur intentio distincta personae ad baptismum, sed sufficit quod intendat baptizare, et non est necesse quod intendat baptizare istum, vel illum, puta Ioannem, vel Guilhelmum. Si tamen hoc facto apud istos sit dubium, fiat sicut dicitur in dubiis *Extra, De baptismo*, capitulo *De quibus dubium est* etc.

Decimoquarto, pono aliquem simoniace baptizatum scienter; quaeritur nunquid baptismus ille sibi posset valere. Arguitur quod non, quia non potest salubriter poenitere de simonia commissa, igitur nunquam valebit sibi ille baptismus. Antecedens probatur, quia in simoniace accepto non potest esse poenitentia, nisi renuntietur rei sic acceptae vel eius executioni, 1 quaestione, 2, *Si quis episcopus praebendas*. Sed si iste in isto casu sic renuntiet suae christianitati, vel vitae christianae, quia sic vivere est executio sacramenti, et sic apostatat ex processione sacramenti et, per consequens, non vere poenitet, contra: tunc talis necessario damnabitur. Consequens est falsum, quia, sicut dicitur *De poenis*, distinctione 3: „talis etiam si ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad veritatis viam suscipit etc.”, dicendum <est> quod baptismus [372b] sic receptus potest per poenitentiam sibi valere, sicut aliis rite accipientibus. Et ad argumentum, quando dicitur quod in simoniace accepto oportet renuntiare rei vel eius executioni, dicendum est quod oportet renuntiare solummodo quando res talis et eius executio non est necessaria ad salutem, sed pertinens ad opera supererogationis, quod non est de sacramento baptismi, nec de eius executione.

Decimoquinto, pono casum iuxta narrationes mulierum, sive dicant verum, sive falsum. Narrant enim quod quidam spiritus quandoque pueros earum auferunt, et alios deteriores loco eorum reponunt. Isto casu posito, quaeritur nunquid puer talis debeat rebaptizari, an non. Quod sic, quia forte est unus puer ablati aliunde de alia patria, et dubium est an sit baptizatus, an non. Unde videtur ibi faciendum secundum consilium illud *Extra, De baptismo*, capitulo *De quibus dubium*. Contra: probabile est quod angelus malus assumit effigiem pueri ad tempus, quia tales pueri aliquando mirabiliter disparent, et faciunt quaedam non naturalia hominibus. Unde videtur mihi quod baptizari debent sub conditione duplici sic: 'si non es baptizatus et capax sis baptismi, ego te baptizo etc.'

Decimosexto, pono casum communem de monstro habente duo capita. Quaeritur nunquid debet baptizari ut unus homo, an ut duo. Dicendum est quod vel est certum ibi esse duas animas rationales, vel non est certum. Si vero sunt duo capita et duo pectora et duo colla, tunc erunt etiam, per consequens, duo corda, et sic baptizandi sunt ut duo. Et licet secundum quosdam possint simul baptizari sic: 'ego baptizo vos etc.', tutius tamen est eos baptizare sigillatim. Si vero sic dubitatur, quia forte non sunt duo capita bene distincta, vel duae cervices bene fundate in eadem nuca, tunc primo baptizandus est unus, et deinde, illo baptizato, potest alter sub conditione baptizari, dicendo: 'si non es baptizatus, ego te etc.', sicut dicitur in *Summa confessorum* et imponitur sancto Thoma in quadam quaestione *De quodlibetis*, sed puto quod non est dictum suum, tamen satis bene dicitur.

Octavo, restat respondere ad rationes.

Ad primam, quando arguitur: 'quia, si baptismus rite susceptus conferat gratiam, sequitur quod parvulus baptizatus qui nunquam meruit, et adultus baptizatus qui meruit etc.', dicendum quod, licet consequens non sit impossibile, tamen bene potest dici ad argumentum negando

consequentiam. Ad probationem autem, quando arguitur: 'capio gratiam parvuli baptizati, et gratiam Linus adulti qui meruit; iste gratiae sunt eiusdem speciei; igitur comparabiles etc.', concedo quod istae gratiae sunt comparabiles. Et quando arguitur: 'igitur gratia adulti potest fieri aequalis etc.', [373a] potest dici quod quaelibet gratia debita merito personali est maior quam sit gratia quae infunditur in baptismo. Et secundum hoc catechumenus maiorem gratiam habet ante baptismum per quemcumque actum suum meritorium gratiae, quam parvulus baptizatus. Unde non est possibile quod Linus peccet et resipiscat cum minori gratia in duplo, quam fuit gratia prima, et iterum cum minori in duplo. Nam peccator meretur de congruo iustificationem per motum contritionis. Unde potest concedi quod est dare minimum actum meritorium qui potest per se subsistere, et illi correspondet una gratia minima quae datur pro meritis praedictis, licet non sit minimus actus meritorius simpliciter, quia quaelibet pars actus meritorii est meritoria, et quaelibet pars gratiae est gratia. Non potest tamen voluntate viatoris fieri actus per se existens meritorius minor isto, quia minimus actus meritorius plus habebit de gratia quam parvulus baptizatus. Ideo non est possibile quod Linus adultus mereretur in duplo minus, et iterum minus in duplo. Et sic deveniat ad aequalitatem gratiae parvuli, quia status erit in minimo actu meritorio per se existente.

Contra: nihil magis est in potestate voluntatis quam suus actus; igitur quocumque dato potest causare minorem vel remissionem. Potest dici concedendo: 'tamen actus ille minor non foret meritum'. Unde, licet pars huius actus meritorii sit modo meritum, tamen, si quaecumque pars istius existeret, non foret meritum. Et, si esset dare minimum ignem qui posset agere ad pedalem distantiam in lignum certum, medio sic disposito, tunc medietas illius, si per se illa ibi poneretur, non ageret in lignum. Et tamen modo agit medietas et medietas medietatis, et in infinitum minor pars et minor agit in lignum datum, quarum nulla, si per se existeret, ageret in lignum. Similiter potest poni exemplum de ligno per se visibili in certa distantia. De ista materia tangetur plus in quaestione de poenitentia.

Forte aliter potest dici ad primum argumentum concedendo conclusionem. Nam possibile est aliquem catechumenum mereri tantam gratiam ante baptismum praecise quanta confertur parvulo in baptismo, et tunc meretur. Idem potest concedi de peccatore, qui potest ita remisse et in talibus circumstantiis conteri, quod non habebit maiorem gratiam, quam unus parvulus habet in baptismo. Et sic patet conclusio argumenti.

Aliter potest dici quod istae gratiae non sunt comparabiles, quia sunt alterius speciei. Unde sicut dicit sanctus Thomas super quarto <*Scriptum super Sententiis*>, distinctione 7, articulo 4: gratia baptismatis et confirmationis et gratia virtutum et donorum distinguuntur secundum speciem, quia ad alios et alios effectus ordinatur, ut, sicut in virtutibus moralibus ubi in[373b]venitur specialis difficultas, ibi requiritur spiritualis virtus, sicut in magnis sumptibus requiritur magnificentia, et in communibus liberalitas, ita gratia baptismatis proficit in iis quae pertinent ad communem statum vitae christianae. Sed gratia confirmationis habet proficere in iis quae sunt difficilia in vita christiana, sicut est confiteri nomen Christi coram persecutoribus fidei. Et ideo istae duae gratiae non sunt eiusdem speciei, sicut ipse dicit ibidem ad primum et secundum argumentum. Similiter in responsione duodecima quaestionis illius dicit quod gratia gratum faciens et gratia sacramentorum distinguitur. Et sic ille terminus 'gratia gratum faciens' est genus,

et eius species sunt 'gratia baptismatis', 'gratia confirmationis', et sic de singulis sacramentis. Et ad gratiam virtutum et quamlibet ipso nomine gratiam vocamus, et sic quaelibet istarum est gratum faciens, et tamen distinguuntur inter se specificè.

Arguitur sic: sit tota latitudo gratiae quam habet Linus 'a'-'c', et gratia parvuli sit 'a'-'b'; tunc est excessus gratiae adulti super gratiam parvuli 'b'-'c'.

Potest igitur dici quod adultus ille potest peccare, et habere minorem gratiam et minorem in infinitum quam sit 'a'-'c', et tamen nunquam habere posset ita modicam gratiam sicut est 'a'-'b'-'c'; sit igitur quod 'a'-'b' sit subduplum ad 'a'-'c'. Et licet possit habere subduplum et subduplum, non tamen subdecuplum, nec ultra de minoribus partibus ipsius 'a'-'c'. Et tamen secundum infinitas partes proportionabiles 'b'-'c' potest habere in infinitum minorem gratiam et minorem quam sit 'a'-'c'.

Contra: quacumque gratia data potest habere minorem in subduplo; igitur tandem devenietur ad aequalitatem 'a'-'b', vel minorem.

Potest negari antecedens, unde, licet non sit dare minimam quam possit habere, quin, qualibet habita, possit habere minorem, tamen est dare aliquam cuius non est habere subduplum, et aliquam cuius non potest haberi subtripulum, et sic de aliis.

Ad secundum principale, quando arguitur quod, si sint duo qui nunquam meruerunt, inaequaliter praemiarentur, quod videtur inconveniens, quia nihil habent nisi per meritum Christi, et illud participant aequaliter, consequentia probatur per quinque media. Primo, per aequalitatem naturalium duorum parvulorum dicendum: verum est quod conclusio non est impossibilis, quin Deus possit praemiare sicut placet, tamen negatur consequens et consequentia de lege statuta.

Et ad primum medium posset dici quod omnes parvuli sunt aequales in illo quo gratia recipietur immediate, quia omnes animae rationales sunt aequales in perfectione, licet sint inequales in dispositione corporum. Sed contra istam responsionem est unus articulus dam[374a]natus Parisiis, qui est talis: „quod inconveniens est ponere alios intellectus nobiliores aliis; quia cum ista diversitas non possit esse a parte corporum, oportet quod sit a parte intellectuum vel intelligentiarum. Et sic animae nobiles et ignobiles erunt necessario diversarum specierum sicut intelligentiae. Sed hoc est erroneum, quia sic anima Christi non esset nobilior anima Iudae.” Ideo potest dici quod debemus illam determinationem tenere in omnibus, quod non credo.

Respondetur aliter ad argumentum: quando arguitur: 'sunt inaequales in naturalibus, igitur gratia perfectior causatur in perfectiori anima', negatur consequentia. Et quando arguitur: 'sacramentum aequaliter agit, et actus activorum sunt in patiente disposito', dico quod sacramentum non agit gratiam nisi metaphorice, sed Deus agit gratiam quando sacramentum suscipitur libere. Et sic potest causare maiorem, vel minorem sicut placet sibi, quicquid sit de nobilitate animae etc.

Ad secundum medium, quando capitur unus parvulus baptizatus tantum, et alter baptizatus et confirmatus etc., potest dici probabiliter quod ille magis beatificabitur qui fuit confirmatus, quia pluribus modis factus est particeps meriti Christi, et, si sibi sic placet, quis est qui impediatur? Hoc expresse habetur *De consecratione*, distinctione 5, *Ut ieiuni*, in apparatu super illud verbum *confirmatione*.

Aliter potest dici quod, licet habeat duas gratias, et alius unam tantum, altera tamen illarum duarum, puta gratia confirmationis, non est gratia univoce cum alia, nec reddet habentem digniorem vita aeterna, sed nata est reddere fortiorem et constantiorem in confessione fidei, quia ad illum effectum specialiter ordinatur sacramentum confirmationis.

Ad tertium, quando capitur unus baptizatus cum debita intentione et solemnitate ab optimo episcopo, et alius a pessimo pagano etc., potest dici quod habebunt aequalem gratiam, et aequaliter sint digni vita aeterna, quia malum ministri non derogat susceptioni sacramenti, sicut patet *De consecratione*, distinctione 4, *Si inter bonos*.

Aliter forte dici potest quod Deus ad preces unius boni viri posset dare uni parvulo plus de praemio aequali, quam de aliis de lege quae nunc est, non quod melior sit baptismus boni quam mali, sed quia melior est baptismus cum oratione sancti viri quam sine.

Ad quartum medium, quod est de parvulo baptizato et parvulo Iudeorum circumciso etc., potest dici quod aequaliter gaudium habebunt, pro quo facit illud *De consecratione*, distinctione 4, *Ex quo instituta*, ubi dicitur quod „ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, ad sanctificationem purgationis valebat parvulis originalis veterisque peccati, sicut et baptismus ex illo valere coepit ad inovationem hominis, ex quo constitutus est”. Et [374b] ad dictum Magistri distinctione 1, capitulo 10, ubi dicit quod baptismatis est maior gratia etc., dicunt quod istae gratiae non sunt eiusdem speciei. In hoc tamen conveniunt, quod aequaliter faciunt parvulum dignum vita aeterna, licet gratia baptismatis sit perfectior quantum ad aliquos effectus vitae moralis, sicut quod vivat perfectius ad reprimendum concupiscentiam. Secundum Thomam, potest dici „perfectius sacramentum”, quia communicat gratiam tam mulieribus quam viris, quod non potuit circumcisio.

Ad quintum medium, quando arguitur quod parvulus assumetur ad aequalitatem aliquorum angelorum, potest concedi tota conclusio.

Ad tertium principale, quando arguitur quod, si baptismus foret gratia effectiva gratiae, tunc posset creatura causare, potest dici quod aliquid dicitur causa effectiva dupliciter: proprie et metaphorice. Sacramenta enim non sunt efficientes causae proprie gratiae, sed solus Deus. Metaphorice dicuntur merita nostra causae tam gratiae, quam augmenti gratiae. Et similiter sacramenta, quia ad perfectionem sacramentorum Deus confert et causat gratiam. Et quando quaeritur an efficit aliquid in anima, an nihil, potest dici quod, proprie loquendo, nihil efficit in anima, sed metaphorice. Et quando ulterius quaeritur utrum est in sacramentis alia virtus influxa realiter an intentionaliter, dicitur quod 'esse in' dicitur multipliciter: proprie et improprie. Solum improprie dicitur quod non est aliud nisi quod Deus in susceptione sacramentorum supernaturaliter in anima operatur gratiam, et sic non sequitur in sacramentis omnibus antiquae legis generaliter in omni casu. Nam sicut dicit Magister: „circumcisio nihil gratiae contulit ipsi Abrae”, libro 4, distinctione 1, capitulo 10 in fine. Unde Gregorius 1, quaestione 1 *Multi secularium*: „Hoc de corpore domini nostri Iesu Christi, hoc etiam de baptismo et chrismate sentiendum est et tenendum, quia virtus divina secretius operatur in eis, et divina solummodo haec est virtus sive potestas non humane efficacie”, et allegatur a Magistro in hoc <libro> 4, distinctione 13, capitulo 1, ante medium.

Ad quartum principale, quando arguitur de duobus catecuminis existentibus in aequalibus meritis et aequali devotione ad baptismum, quorum alter moritur in via etc., dico quod aeternaliter et aequaliter uterque praemiabitur. Et quando arguitur: 'ergo baptismus non valet', nego consequentiam, quia ex quo habere non potuit, sed, si contempsisset, non fuisset aequalis devotionis cum alio baptizato.

Ad quintum, quando dicitur quod 'si sic, tunc plus deberet valere in adulto quam in parvulo', dicitur quod hoc contingit diversimode, secundum diversam dispositionem adulti. Nam potest contingere quod adultus habeat gratiam et fidem et remissionem peccatorum antequam baptizaretur. Et certe sibi minus prodest baptismus, quia sine baptismo, si non contemneret, potest salvari et salvaretur, cum sit iam dignus vita aeterna. Parvulus sine baptismo salvari non potest, et tunc in casu plus valet baptismus parvulo quam adulto. Unde quicumque adultus ad baptismum accedat non fictus, ipse est dignus vita aeterna antequam baptizaretur. Si autem aliquis accederet fictus, sibi omnino non prodesset, et ideo nec magis, nec minus parvulo.

Ad sextum, quando arguitur quod tunc baptismus deleret poenam satisfactoriam quae debet infligi pro peccatis, concedo quod Deus delet et acceptat satisfactionem passionis Christi pro isto. Et quando dicitur 'tunc aliquid maneret deordinatum, quia impunitum, et omne tale est deordinatum secundum Anselmum', dico quod in adultis, qui non sunt ficti, insit contritio pro peccatis. Et ita ordinatur. Et quando arguitur de duobus, quorum unus committit in centuplo plura peccata, et tamen in centuplo minus conteritur, et tamen uterque recipit completam veniam poenae et culpa, dico quod hoc est verum. Et quando infertur: 'ergo remanet aliquid impunitum', potest dici, sicut alias dixi, quod Deus ordinat culpam non solum puniendo, sicut Anselmum ibi nimis stricte loquitur, immo sub bonis circumstantiis ad honorem suum et suae bonitatis ostensionem culpam remittendo, et sive remittat, sive puniat, bene eam ordinat.

Ad septimum, quando arguitur: 'si sic, tunc baptismus contulisset Christo gratiam', nego consequentiam, quia baptismus Ioannis non conferebat gratiam, sicut patet *De consecratione*, distinctione 4, *Non regenerabantur*. Contra, <Secundum> *Marcum*, 1 dicitur: *fuit in deserto Ioannes baptizans et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*; sed remissio peccatorum non fit nisi per gratiam; igitur etc. Dicendum <est> quod illa auctoritas debet exponi ut illa duo participia, 'baptizans' et 'praedicans', referantur ad diversa baptismata, quia baptizavit baptismo suo et praedicavit baptismum Christi; vel ideo dicitur esse in remissionem peccatorum, quia baptizatis imponebat agere dignos fructus poenitentiae, ex quibus sequitur remissio peccatorum. Unde baptismus suus habuit quamdam assistentiam ad baptismum Christi, sicut dicitur <*Decretum Gratiani*>, 1, quaestione, 1, <capitulum 46>, *Dedit baptismum*; unde nec pueris dabant, sed tantum adultis.

Ad octavum, quando dicitur quod, si intentio ministri requereretur, deberet dubitare quilibet an esset baptizatus etc., dicendum <est> quod, qui ab infantia inter christianos conversatus est, nec de se, nec de alio debet dubitare quin sit baptizatus sine magna evidentia ad oppositum. Praesumitur enim esse baptizatus qui inter christianos tamquam fidelis fuerit conversatus, sicut dicitur *Extra*, *De presbytero non baptizato*, capitulo *Veniens*. Contra hanc tamen praesumptionem probatio est admittenda, [375b] si contra talem in foro iudicii agatur, sicut patuit superius, articulo

7, casu 11. Et quando dicitur quod, si intentio requiratur, tunc sacerdos distractus, ebrius, vel puer ludens non baptizaret, dicendum <est> quod, si foret tanta distractio, vel ita vehemens ebrietas, vel ita ludus, iste factus, quod nullo modo intenderet facere, quod Ecclesia in baptizando facere consuevit, non baptizaret, sed, si cum distractione, vel cum aliis quae non impedirent staret haec intentio, baptizatus est. Si vero versaretur in dubium ex aliqua causa bona an sit baptizatus, an non, potest sine periculo sub conditione vera baptizari, ut patet *Extra, De baptismo*, capitulo *De quibus*. Contra, pono aliquem baptizatum et postea ordinatum in sacerdotem et postea negetur; probo postmodum contrarium in foro iudicii, quod non fuit baptizatus: iste debet baptizari et iterum ordinari, secundum casum supra in hac responsione allegatum, *Extra, De presbytero non batizato*, capitulo *Veniens*. Sit ita quod post ista veniat alia probatio evidens et sufficiens, qua probatur sufficienter fuisse baptizatus; quaeritur an sit irregularis. Dicendum est quod sic, quia rebaptizatus; igitur efficitur irregularis, *De consecratione*, distinctione 4, capitulo *Qui bis*, unde oportet eum carere executione officii, nisi cum eo dispensetur.

Ad nonum, quando arguitur de fide aliena quae requiritur ad parvulum baptizandum, dicendum quod baptizatur vel in fide Ecclesiae militantis, vel in virtute visionis Ecclesiae triumphantis, nec obest infidelitas offerentium.

Ad decimum, quod nullus potest baptizare seipsum, salvabitur tamen qui hoc in articulo necessitatis fecerit non propter sacramentum quod recepit, sed propter fidei devotionem, et si supervixerit, debet ab alio baptizari, et ponitur iste casus expresse de quodam iudeo *Extra, De baptismo et eius effectum*, capitulo *Debitum etc.*